

# Entomologische Monatschrift.

Redaction und Expedition:

Landstrasse, Gärtnergasse Nr. 20.

In Commission bei

Carl Gerold's Sohn, Stadt Nr. 625.

Nr. 4.

VII. Band.

April 1863.

## Lepidoptera nova

a D<sup>r</sup>e. Carolo Semper in insulis Philippinis collecta diagnosibus exposuerunt

C. et R. Felder.

Series tertia.

### 65. Danais Phyle Nob.

*Alis supra nigro-fuscis, subtus multo dilutioribus, anticarum stria marginis interni, maculis duabus vittaeformibus, binis grossis inter ramos primores medianos, punctis duobus supra obsoletis inter ramum medianum secundum et tertium, maculis duabus subcostalibus, fasciola infra secundam multo minorem maculis tribus difformibus (secunda longiore, infima sat grossa, irregulari) constituta, maculis septem submarginalibus (tertia et quarta minimis) punctisque sparsis ante marginem, posticarum maculis binis vittaeformibus (prima subcostali, secunda cellulari), striis quatuor internis e basi, maculis quinque circa cellulam bene separatis, aliis sex submarginalibus simplicibus (tribus infimis punctiformibus) punctisque nonnullis ante marginem subtus multo majoribus et seriem completam formantibus hyalino-albis, maculis discalibus in pagina infera posticarum venis solum separatis. ♂*

Luzon. (Anna Semper). — *D. albatae* Zink. proxima, sed minor, saturatius colorata et characteribus supra exhibitis primo aspectu dignoscenda. Alae anticae unici speciminis praeterea in regione apicali multo minus productae sunt, margo earum externus ad plicam medianam tertiam magis sinuatus et margo apicalis supra venam discoidalem inferiorem multo magis convexus est, quam in *D. albata*.

### 66. *Danais luzonensis* Nob.

*Alis supra nigro-fuscis, subtus parum dilutioribus, anticarum maculis duabus vittaformibus (interna strigam nigram includente), maculis binis grossis inter ramum medianum primum et secundum, totidem multo minoribus inter hunc et tertium ramum, maculis tribus elongatis subcostalibus, infra secundam maculis binis subfusciformibus tertiaque ovali, maculis septem submarginalibus, serie flexili dispositis (tertia et quarta minimis) punctisque ante marginem, posticarum cellula tota, maculis circa eam valde difformibus (duabus subcostalibus acute et anguste fusiformibus), striis quatuor internis angustis acutissimis, punctis duobus obsoletis inter ramos medianos tertioque in limbo apicali albido-hyalinis, his subtus macula subcostali, punctis exterioribus analibus aliisque marginalibus albis, ciliis omnium alarum brevissimis, obsolete albo intersectis. ♀*

Luzon. — *D. Melaneo* Cram. affinis, sed minor, alae pro portione latiores, anticae multo minus porrectae, posticae vero ad apicem multo magis productae, angulus earum analis sat prominens, margo externus vix rotundatus et magis repandus. Anticarum margo apud plicam tertiam medianam minus inflexus, rami earum subcostales multo minus arcuati i. e. sub angulis multo acutioribus emissi, interstitium rami mediani secundi et tertii multo minus arrectum, cellula discoidalis quare extimo latior, quam in *Melaneo*. In alis posticis venae omnes sub angulis multo acutioribus et basi multo proprieores oriuntur, quam in specie dicta, ita, ut multo longiores se praebent. Venula discocellularis superior longior et flexilior est.

### 67. *Cethosia mindanensis* Nob.

*Alis ♂ris supra lateritiis, lilacino parum tinctis, anticarum strigis cellularibus dimidioque apicali, posticarum limbo externo late nigricantibus, intus violaceo suffusis, anticis fascia abbreviata obliqua, a vena costali incipiente flavescenti-alba, posticis macula oblitterata discali nigrescente, omnibus linea marginali crenata ordinaria obsoleta, ♀nae omnibus ibidem serpentino-nigris, anticarum fascia abbreviata, obliqua pone discum maculaque sinuata subtrigona interna, posticarum fascia fere totum dimidium basale tegente, medio macula nigra notata ochraceo-albis, linea communi marginali obsoleta tenui sed distinctiore, subtus omnibus ♂ris ochraceo-fulvis, in triente basali lateritiis, ♀nae sordide ochraceis, fascia communi pone cellulam albida, in mar-*

gine interno (in anticis in externo etiam) striga maculuri nigra ornata, in posticis introrsum paullum sinuata, fascia altera exteriore, maculis grossis cuneiformibus glaucis formata (singularis harum grosse fusco bimaculatis), in anticis a fascia obliqua paginae superioris hic latoe interrupta, margine externo obscure fuso, linea ordinaria crenata, sed multo latiore diviso maculisque sordide albis atomariis in sinibus marginis ipsius (anticarum apicalibus linearibus, posticarum omnibus plus minus trigonis), anticarum fasciolis cellularibus aequilatis, posticarum fasciolis basalibus glaucis, late nigro strigatis, his lituris duabus tenuibus in cellula, nigris.

Mindanao. — *C. Hypseae* Doubldy affinis et certe geographica forma ejus. Maximam similitudinem habet cum varietate javanica *C. Hypseae* nondum descripta, qua de causa a comparatione ad praesens nos desistere oportet. Unicum par Dr. Semper collegit. Femina minor est, quam mas et fasciam obliquam alarum anticarum supra multo latiorem exhibit. Mas vero magnitudinem *C. Hypseae*, quam ex figura tantum cel. Hewitsonii in „Gen. of diurn. Lep.“ cognoscimus, vix attingit.

#### 68. *Cethosia luzonica* Nob.

*Alis supra lateritiis, lilacino paullum tinctis, anticarum strigis cellularibus distinctis trianguloque lato terminali, posticarum limbo externo angusto, intus regulariter crenato nigricantibus, subtus omnibus luteis, triente basali lateritio, fascia communi pone cellulam albida, glauco nitente, ab anticarum costa incipiente, ad margines striga maculari nigra ornata, in posticis introrsum paullum sinuata, margine externo nigro-fusco, linea ordinaria crenata nitida tenui sed distincta persecto, striolis minutis apud plicarum extima glaucis, anticarum fasciolis tribus cellularibus latis, posticarum fasciolis basalibus glaucis, late nigro strigatis, his macula cellulari aliisque exterioribus biseriatis (anterioribus punctiformibus, posterioribus sublunulatis) nigris, inter fasciam discalem et marginem nigrum, illis fascia exteriore, maculis ordinariis elongato-ellipticis constituta. ♂*

Luzon. — Unum marem cel. Dr. Semper collegit. Facillime species ista, quae liberae formae aspectum praebet, a praecedente et reliquis *C. Hypseae* Doubldy formis distinguitur absentia fasciae albae in pagina superiore alarum anticarum, limbis nigris ejusdem paginae angustioribus et striga ordinaria marginali paginae inferioris multo minus profunde crenata. Secundum fasciae inferae alarum

posticarum formam *C. mindanensi* proprius accedit. Ab omnibus forma etiam alarum discrepat, ut alio loco explicare tentabimus. Specimen majus est quam *C. Hypsea*.

#### 69. Cyrestis Cassander Nob.

*Alis* utrinque albis, margaritaceo nitidis, strigis quatuor in paribus ante medium, prima et quarta fulro-brunneis, intermediis fuscis, omnibus in anticis refractis, posterioribus duabus versus angulum analem posticarum bis et fortiter inflexis, litura tenui discocellulari in anticis triplici, in posticis dupli, striga communi media geminata limboque externo (anticarum intus sinuato) brunneis, hoc maculis fuscis albido cinctis seriatis, anticarum obsoletis, posticarum angustatis, striga submarginali alba alteraque marginali tenui nigra albo cincta diviso, anticis lituris basalibus ochraceis et fuscis, posticis apud angulum analem ochraceo-fulvis, ocellulo notatis, subtus strigis liturisque passim obsoletis limboque multo pallidioribus, maculis in eo vero multo obscurioribus, anticarum ultima posticarumque prima rotundatis, majoribus, striga submarginali paginae superioris multo latiore. ♂

Luzon. — Ex affinitate *C. Periandris* Fabr. Major adhuc est quam *C. Paulinus* Feld. Wien. Ent. Monatschrift IV. p. 247 moluccanus. Unicum specimen in regione postica alarum posteriorum valde laceratum Dr. Semper Europam misit. Alae anticae infra venam discoidalem superiorem distincte angulatae sunt, margo idcirco apicalis truncatus appetat.

#### 70. Zethera Parnassia Nob.

*Alis* supra violaceo-fuscis, maculis marginalibus anguste lunulatis, in anticis duabus solis apparentibus, harum maculis duabus subapicalibus tribusque elongatis pone secundam, posticarum maculis externis grossis acutis binatis, magnitudine incrementalibus albis, his supra radius aequalibus, fundo paullo dilutioribus in dimidio basali, subtus omnibus multo dilutioribus, maculis paginae superioris multo latioribus, posticis punctis insuper exterioribus obsoletis violaceo-albis. ♀

Luzon. (Anna Semper.) — Aberratio primo aspectu *Z. Pimpleae* Er. videtur specimen unicum collectum, sed forma jam alarum discrepat. Macularum radiiformium vix ullum vestigium relictum est. — Eodem anno, quo diagnosis nostra generis *Zetherae* in Vol. XXVIII Actorum Acad. Caes. Reg. Leop. Carol. edita fuit, cel. Hewitson

Exot. Buttl. Vol. II. magnificam speciem *Z. hestiodi* Feld. Wien. Ent. Monatschr. V. p. 302 accedentem sub nomine „*Amechania incerta*“ iconе expressit. Quamvis teneritate valde discrepent *Zetherae*, haud dubitandum est, proxime affines generibus *Penthema*е Doubldy, *Calinagae* Moore et *Isodema*е Feld. \*) eas esse, ut l. c. notavimus. Maximam analogiam habent cum *Melanitide* Fabr. *Billidarum*, ut cel. Hewitson l. c. rectissime scripsit, sed facile ab hac sicut a *Danaidis* distinguuntur palpis in latere frontali magis dilatatis, quae res sola *Nymphalidarum* imagines a vicinis familiis secernit. (Cf. Wien. Ent. Monatschr. VI. p. 109.) Cellula discoidalis alarum posticarum fere eamdem formam habet, ut apud *Melanitides*. In signaturis vero *Danaidas* quasdam revocant. Cel. Kollar in Museo Viennensi *Z. Pimpleam* ♀ sub nomine „*Danais Biton*“ inseruit. — Denominatio generis a nobis applicata quum ante plures annos in collectione Boisduvaliana creata fuerit, *Hewitsonianae* praeferenda videtur.

#### 71. *Zethera Aganippe* Nob.

*Z. Pimplea* ♀ var. apud Boisd. in litt.

*Alis supra fuscis, subtus multo dilutioribus, utrinque maculis externis binatis aliisque marginalibus lunulatis albis, supra praesertim in anticis violascenti atomatis, his macula cellulari quadrisida tribus medianis, aliis quinque longitudinalibus supra eas (binis primoribus subcostalibus linearibus), quatuor adjacentibus rotundatis tribusque majoribus subapicalibus (secunda divisa) albis, supra partim violascenti-, partim aeneo utomatis, posticis plus quam dimidio basali late albo radiato punctisque exterioribus albis.* ♀

Bourias. Locban. (Lorquin.) Coll. Felder. — Varietatem *Z. Pimpleae* Er. ♀ haud constantis unicum specimen nostrum putaremus, nisi alarum forma differret. Alae multo latiores sunt, anticae ad apicem multo minus productae, posticarum cellula longior et latior. Similior est forma *Z. Parnassiae*, alae autem breviores et margo externus anticarum apud venam discoidalem inferiorem multo magis convexus et posticae multo magis rotundatae. *Z. Parnassiae* pagina inferior ab ea *Pimpleae* et *Aganippes* aequo differt maculis externis binatis antice haud truncatis sed acutis, ita ut singula haemisphaerium formet.

\*) Pro *Paraplesia* Nob. Wien. Ent. Monatschr. VI. p. 26 hoc nomen accipendum est, cel. enim Herrich-Schäffer illam denominationem jam applicavit apud *Heterocera*.

### 72. *Limenitis Urdaneta* Nob.

*Alis supra fuscis, ad basin aeneo tinclis nigroque lituratis, anticis venis strigaque communi exteriore, in posticis latiore ferrugineo-fulvis, lineis duabus parum undulatis marginalibus striolisque antifarum, ante strigam dictam positis fundo dilutioribus, antifarum puncto subcostali ante medium, fascia exteriore, maculis valde inaequalibus composita maculisque tribus subapicalibus, postifarum fascia discali perobliqua, costam versus arcuata ibique in margine suo externo lituris binis nigris divisa albis, his maculis octo grossis rotundatis atris ante strigas marginales, subtus omnibus maculis in sinibus marginis albis, limbo externo fulvo, maculis glauco-lilascentibus grosse nigro foetis, extrorsum lunulis albis terminatis aliisque submarginalibus linearibus sed latiusculis albis ornato, antifarum triente basali litura baseos, maculis duabus fulvis grosse nigro cinctis (superiore extus fortiter angulata, lituraque discocellulari angulata nigris picta, postifarum plus quam dimidio basali lituris quinque tenuibus nigris fasciaque paginae superioris sed inferius diffusa et multo angustiore, intus nigro marginata, extus serie macularum nigrarum cincta ornato pallide aeneo-virentibus, anticis maculis albis paginae superioris et striga flexuosa eas extrorsum terminante, posticis maculis grossis nigris spatium virens extus cingente. ♀*

Luzon. — Diagnosis superna sufficiens erit ad distinguendam hanc speciem unica femina lectam a *L. Procris* Cram., quae proxima affinis. Forma vero alarum etiam differt ab omnibus sectionis speciebus. Alae anticae ad marginem internum et posticae ad costam multo longiores. Harum regio apicalis magis producta et margo externus bene rotundatus, quae res, sicut et formatio fasciae earumdem alarum speciem *Athyris* similem efficit. Alae anticae magis falcatae et apice multo magis productae apparent, quam in *Procris*. ♀

*L. Mata Moore*, quam ex levissima sola descriptione cognoscimus, mas fortasse nostrae speciei est.

### 73. *Neptis Mindorana* Nob.

*Alis supra obscure fuscis, striga undata, margini sat approximata, antifarum vittula cellulari et macula postposita triangularibus, maculis quatuor interioribus, linea sat obliqua digestis, tribus subapicalibus, striga maculari exteriore alteraque pone eam lunulis formata postifarumque fascia subbasali alteraque maculari*

*exteriore albis, his striga media fundo dilutiore inter fascias, subtus omnibus ferrugineis, violaceo tinctis, fasciis et maculis paginae superioris latioribus, striga maculari in margine ipso posticarumque lobulo costali, fascia angusta basali albis, harum striga media supera violascenti-alba.* ♂

Mindoro. — Unicum specimen Dr. Semper hujus speciei *N. Idae* Moore, ut videtur, valde affinis reportavit.

#### 74. *Neptis Illocana* Nob.

*Alis supra nigro-fuscis, striga submarginali, maculari undata, anticarum vittula cellulari et macula postposita grossa triangularibus, maculis quatuor interioribus elongatis difformibus, vix linea digestis, tribus subapicalibus, dein maculis nonnullis obsoletioribus parvulis strigaque externa maculari, posticarum fascia subbasali sat lata alteraque maculari exteriore albis, his striga fundo dilutiore vix distincta inter fascias, subtus omnibus ferrugineo-badiis, fasciis strigis maculisque paginae superioris latioribus distinctioribus, anticis stria tenui subcostali, maculis duabus in margine externo totidemque in margine interno albis, costa ad basin ferruginea, posticis lobulo basali, fasciola angusta basali, maculisque inflexis marginalibus albis.* ♀

Luzon. (Anna Semper.) — *N. Somae* Moore proxima affinis, sed minor, colore multo nigriore signaturisque albis valde distinctis paginae superae, maculis internis alarum anticarum multo majoribus, aliter dispositis et striga exteriore earum multo minus flexuosa jam facile dignoscenda. Unicum specimen captum est.

#### 75. *Neptis Pampanga* Nob.

*Alis supra nigrescenti-fuscis, striga submarginali, in posticis continua dilutiore, anticarum vittula cellulari angusta, macula postposita, triangulari, maculis quatuor interioribus subaequalis extensionis, linea digestis, quatuor subapicalibus (secunda minutissima) strigaque externa maculari albis, ante hanc striga fundo dilutiore flexuosa, posticarum fascia subbasali sat lata, costam haud plane attingente, venis nigro-fuscis divisa alteraque valde maculari exteriore albidis, his striga fundo dilutiore indistincta inter fascias, subtus omnibus ferrugineo-brunneis, fasciis maculisque paginae superioris latioribus, albioribus, striga submarginali paginae superae albida, anticis stria obsoleta subcostali strigaque flexuosa superiore albido-canis, maculis duabus*

*in margine externo totidemque in margine interno albidis, posticis lobulo basali, fasciola angusta basali abbreviata diffusa albis, striga media supera alteraque maculari marginali violascenti-albidis.* ♀

Luzon. — A N. Soma et Ilocana, quibus valde affinis, forma alarum discrepat, quae magis elongatae et apice multo magis productae sunt. Medium tenet ista species unica femina collecta inter praedictas.

### 76. *Neptis Ebusa* (Boisd. in litt.)

*Alis utrinque saturate fuscis, anticarum vitta acuminata e basi, maculis duabus subcostalibus linearibus, quatuor adjacentibus trigonis albido atomatis, duabus medianis multo majoribus trigonis, fascia brevissima interna, striga externa flexuosa binisque submarginalibus, posticarum fascia subbasali angusta costam haud pertingente, altera angustiore externa, striga interjecta aliisque binis submarginalibus supra pallide brunnescentibus, subtus ex parte latioribus, multo albidioribus ideoque distinctioribus, anticis ibidem striga subcostali pallide ochracea cum macula prima subcostali supera connexa, linea insuper obsoleta albida in margine, regione externa violaceo suffusa, posticis lobulo basali anguste ochraceo-albido fasciaque basali arcuata concolore.* ♀

Mindoro. — Eximia haec species propriam constituit sectionem, ab ea N. Aceris Lep. alis multo magis dilatatis, trunco mediano omnium alarum multo breviore, vena discoidali inferiore alarum anticarum ad basin multo minus geniculata venaque costali posticarum in triente ultimo costae exeunte praesertim diversam. Cel. Boisduval specimen unicum jam ante oculos habuit. Alae sat latae et breviusculae sunt, anticae in margine externo parum concavae. Expansio eam N. Illigerae Esch. ♀ haud attingit.

### 77. *Neptis Cymela* (Boisd. in litt.)

*Alis supra nigro-fuscis, anticarum vitta cellulari maculaque postposita trianguli subdiffusis, maculis tribus subapicalibus, aliis duabus interioribus fasciolaque brevissima interna, posticarum fascia discali aequilata albis, anticis striga exteriore regulariter flexuosa binisque submarginalibus, passim albo coloratis, posticis striga discali, altera submarginali, a margine bene distante fundo dilutioribus, tertia interjecta albido atomata, subtus omnibus pallidioribus, anticis maculis superis latioribus, vitta et macula triangulari confluis, maculis interioribus et fasciola in-*

*terna cohaerentibus, posticis lobulo baseos costalis albo, dein fasciola diffusa grisecente, fascia, stria media multo latiore binisque externis multo albidiioribus paginae superioris fasciis fundo dilutioribus impositis margineque externo dilutiore.* ♀

Luzon. — *N. Illigerae* Esch. affinis, sed characteribus supra datis levi jam intuitu dignoscenda. Unicum specimen, quod cel. etiam Boisduval in manibus habuit, supra faciem fere *N. Somae* Moore praebet. Majus est, quam *N. Illigera* in Philippinis sat vulgaris et sectioni *N. Vikasi* Horsf. multum accedens.

#### 78. *Neptis Cyra* (Boisd. in litt.).

*Alis supra nigro-fuscis, anticarum maculis duabus subapicalibus, totidem interioribus subconnatis fasciolaque interna brevissima, posticarum fascia discali albis, vitta cellulari maculaque postposita plane confluis diffusis, brunneis, albo atomatis, striga externa irregulariter flexuosa binisque macularibus submarginalibus a margine bene distantibus, fundo dilutioribus, passim albis, his striga discali, altera submarginali, a margine bene remota, fundo dilutioribus, tertia interjecta multo latiore, albido parum atomata, subtus omnibus dilutioribus, anticis vitta albo colorata et maculis superis latioribus, maculis interioribus et fasciola interna cohaerentibus, posticis lobulo costali anguste albo, dein fasciola diffusa grisea, strigis paginae superioris multo latioribus, media et submarginali violascentibus, hac et striga interjecta fasciis fundo dilutioribus impositis margineque externo dilutiore.* ♀

Luzon. — A praecedente sicut a *N. Illigera* Esch. haec unico specimine lecta differt vena discoidali inferiore alarum anticarum multo minus geniculata et alis anticis angustioribus, apice magis productis. In alarum posticarum forma cum *N. Cymela* convenit, cui sat affinis est. Pagina superior ei *N. Illigerae* valde similis, cujus expansionem nostra superat.

#### 79. *Neptis Epira* (Boisd. in litt.).

*Alis supra fuscis, striga exteriore fundo dilutiore, in anticis flexuosa, albido atomata, his vittula cellulari sordide albida maculisque duabus postpositis, prima concolore obsoleta, secunda multo majore, alba, maculis tribus parvis subapicalibus, bene remotis, macula rotundata interiore fasciolaque brevissima interna, vena divisa albis, striga submarginali flexili fundo dilutiore, posticis fascia discali angusta submaculari, a ramo subcostali primo*

incipiente in fundo dilutiore, subtus omnibus pallidioribus, maxima ex parte ferrugineis, albido-caeruleo variegatis, strigis duabus submarginalibus atomariis, ex parte albido-coeruleis, ex parte ochraceo-flavescens, anticis vitta maculaque superioribus, sed latioribus, albis, macula ochracea costali in loco maculae primae subcostalis superae, cum secunda connexa, posticis macula ad costae basin lacerata, dilute ochraceo-flavida, fascia paginae superioris, sed minus divisa, brunneo variegata fasciolaque posteriore statim pone eam, atomis ochraceo-flavis formata. ♂ ♀

Bourias, Locban. (Lorquin.) — Insignis ista species sectioni *N. Radhae* Moore, *Thisbes* Mén. etc. proxime accedit, sed bene discrepat antennis multo gracilioribus, palpis multo minus pilosis, acicularibus, ramo subcostali primo alarum anticarum longius pone cellulam emiso, vena discoidalii inferiore ad basin vix geniculata, ramis medianis earumdem alarum primoribus magis inter se approximatis, trunco mediano posticarum breviore et forma alarum. Alae anticae pro portione latiores sunt, fere biangulatae, marginem externum bene sinuatum et marginem internum longiore habent, posticae vero breviores, in margine apicali multo magis porrectae apparent et marginem costalem convexum sed haud rotundatum exhibent. Specimen unicum, quod cel. Comes de Mnischek benigne nobis donavit, omnibus congeneribus nobis notis minus est. Paginae inferioris fundus *N. Hordoniam* parum revocat, pagina superior autem faciem *Eresiae Janthes* Fabr. praebet, cui in forma etiam alarum nostra haud absimilis.

#### 80. *Neptis Isabellina* (Boisd. in litt.).

*Alis maculis minutis ciliaribus albis in sinibus marginum, supra omnibus nigro-fuscis, anticarum vitta triangulari e basi, fortiter incisa, fascia interna sinuata fasciolaque subapicali, posticarum fascia sat lata discali strigaque externa fulvis, anticis strigis duabus submarginalibus curvalis, posticis striga unica — fundo dilutioribus, subtus omnibus multo pallidioribus, fasciis paginae superioris albido-fulvis, latioribus, strigis submarginalibus distinctioribus, latioribus, anticarum vitta absque incisura, posticis margin e costali ad basin late albido-fulvescente.* ♂ ♀

Luzon. (Lorquin.) — *N. Miah* Moore proxima, sed minor et alis anticis in margine externo distincte concavis instructa.

#### 81. *Neptis Cyrilla* (Boisd. in litt.).

*Alis ciliis distincte albo intersectis, omnibus supra nigro-fuscis, anticarum vitta clavata, vix incisa e basi, maculis tribus subapicali-*

*libus, quarta majore interiore fasciolaque brevissima interna, posticarum fascia discali sat lata strigaque externa pallide fulvis, anticis strigis duabus submarginalibus (prima flexuosa), posticis striga inter fasciam et strigam fulvam alteraque submarginali fundo dilutioribus, subtus omnibus pallidioribus, fasciis maculisque paginae superioris albido-fulvescentibus, strigis distinctioribus latioribus, anticarum striga subcostali e basi maculaque postposita, posticarum ♀ nae lobulo baseos, ♂ris plus quam triente costali fasciaque basali arcuata ex albido fulvescentibus.*

Luzon. Coll. Semper et Felder. (Lorquin.) — Superna scripta sufficient ad distinguendum hanc speciem ab omnibus *N. Tigae* Moore (*Heliodorae* Fabr.) affinibus. *N. Hordoniae* Stoll. magnitudinem paullum excedunt specimina nostra. Alae magis elongatae sunt, quam in dictis speciebus.

### 82. *Neptis Phrygia* Nob.

*Alis supra nigro-fuscis, strigis duabus submarginalibus, multo dilutioribus, anticarum vitta integra e basi, maculis duabus subapicalibus, bene remotis binisque interioribus (singula bipartita), posticarum fascia angusta stricta fulvescentibus, his striga fusca dilutiore pone fasciam, subtus omnibus saturationibus, maculis, fasciis et strigis multo albidioribus et latioribus, anticis vitta angusta subcostali, posticis lobulo costali fasciaque basali insuper albido-fulvescentibus. ♀*

Mindoro. — *N. Mysiae* Feld. moluccanae accedit, sed facile jam distinguitur strigis duabus tantum in posticarum limbo externo visibilis. Specimen unicum *N. Hordoniae* Stoll expansionem paullum excedit.

### 83. *Neptis Athenais* (Boisd. in litt.).

*Alis supra nigrescenti-fuscis, striga unica communi marginali tenui dilutiore, anticarum vitta integra e basi, maculis tribus submarginalibus (duabus superioribus connatis), quarta interiore rotunda fasciolaque brevissima interna, posticarum fascia discali perangusta strigaque exteriore strigae dilutius fuscescenti imposta pallide fulvis, anticis striga externa, posticis striga discali fundo dilutiore, subtus omnibus dilutioribus, fasciis, strigis et maculis paginae superae, sed latioribus, albidioribus, anticis striga subcostali longitudinali interrupta, posticis costae lobulo fasciaque basali insuper albido-fulvis. ♀*

Mindanao. — Praecedenti valde affinis est, sed minor. Supra faciem fere *N. Mysiae* praebet. Ab hac specie vero striga unica in margine alarum posticarum apparente jam discrepat. Venae etiam diversae sunt, ab iis etiam *N. Phrygiae*, ut accuratius alio explicabimus loco. Unicam feminam Dr. Semper cepit.

#### 84. *Athyma Maena* (Boisd. in litt.).

*Alis supra fuscis, striga submarginali dilutiore, anticarum vitta e basi, triangulari, margine antico sinuata et litura fusca divisa, fascia interna, macula angusta terminata, fasciola subapicali, maculis tribus composita sat latis, posticarum fascia basali stri-gaque exteriore submaculari pallide fulvis, anticis striga externa maculari flexili, fundo dilutiore (macula prima sola fulvo colo-rata), posticis fasciis binis nigricantibus, strigam fulvam cingentibus, subtus omnibus multo pallidioribus, fasciis strigisque paginae superioris sed albidis, anticis maculis duabus fuscis internis prope basin, posticis limbo interno glaucescente, fasciola basali brevi albida, maculis seriatis nigris discalibus strigaque submarginali paginae superioris sed obscurius intus limbata.* ♀

Looban. Bourias. (Lorquin.) — *A. Camae* Moore sat affinis videtur, sed specimen nostrum quarta parte minus, quam femina dictae speciei a cel. Moore icona exposita. (Catal. of Lep. Ins. of E. J. C. Coll. I. tab. V. a. fig. 5.) Alae angustiores sunt, anticae in margine externo distinete sinuatae.

#### 85. *Athyma Arayata* Semper in litt.

*Alis supra nigro-fuscis, ciliis distinete albo intersectis, striga submarginali dilutiore, albido atomata, anticarum maculis duabus cellularibus, litura pone secundam, quatuor bene dissitis subapicalibus, duabus medianis maximis, tertia infra eas minuta fasciolaque interna brevissima, posticarum fascia basali sat lata, ramo primo subcostali solo sed fortiter divisa, pure albis, lilacino parum ex parte tinctis, anticis maculis binis virenti-griseis, atro cinctis difformibus prope basin (prima majore, cellulari), striga externa maculis angustis formata, posticis maculis externis parvulis, serie curvata digestis, fundo dilutioribus albo atomatis, subtus omnibus multo pallidioribus, maculis et fasciis superioribus sed minus candidis, strigis macularibus submarginibus distinctis, albidis, anticis maculis griseis superis brunneo-albidis, litura discali latiore, maculis discalibus et*

*exterioribus grossis fuscis diffusis sed distinctis; posticis regione tota lobuli basalis albida et inde limbo interno late glaucescente venula praecostali, lituris quatuor minus distinctis basalibus maculisque grossis diffusis pone fasciam fuscis, striga externa supera lunulis lilascenti-albis, magnitudine incrementibus constituta (inferioribus quatuor diffusis), maculis ciliaribus ultra cilia extensis, magnitudine decrementibus.* ♂

Luzon, in summo monte Arayat (c. 3000 ped. alt.). Coll. Semper et Felder. — *A. Mahesae* Moore affinis est pulchra haec species, sed forma alarum jam differt. Alae magis denticulatae sunt et anticae in margine externo magis excavatae. Specimen nobis benigne communicatum minus est, quam *A. Mahesa*.

Femina nullum ostendit discriminem, ut Dom. G. Semper nobis scripsit.

#### 86. *Athyma Epimethis* (Boisd. in litt.).

*Alis supra fuscis, ciliis distincte albo intersectis, striga submarginali fundo dilutiore, anticarum vitta cellulari, annulo obsoleto nigricante persecto, macula postposita triangulari, tribus subapicalibus sat approximatis, binis medianis (inferiore multo grossiore) fasciola brevi interna, strigaque externa, posticarum fascia subbasali sat angusta alteraque paullo latiore externa, maculis punctiformibus nigrescentibus notata, leviter curvata sed margini haud parallela pallidissime brunneis, aureo-sulvo atomatis, anticis disco inter venas extusque nigro umbratis, posticis fascia nigra, fasciam dictam externam intus limitante, altera postposita margineque pone strigam nigris, subtus omnibus fulvis, ad basin laetioribus, fasciis maculisque paginae superioris albis, lilacino tinctis, his minoribus, anticarum maculis discalibus et exterioribus, posticarum venula praecostali, maculis basalibus aliisque seriatis pone discum saturate nigris, striga submarginali communis intus maculis obsoletis nigrescentibus rotundatis terminata, anticis vitta cellulari continua sed margine interno maculis tribus atris terminata, macula interna lilascenti-alba, atro notata, posticis fasciola basali alba limboque interno cohaerente glauco, omnium maculis ciliaribus ultra cilia extensis.* ♀

Mindoro. — *A. Kasae* Moore (*Arandae* Boisd. in litt.) affinis, at colore paginae superioris, ei *A. Subratae* Moore haud absimili valde discrepans. Alae anticae et posticae apud costam multo breviores sunt, margo externus harum bene rotundatus et levius

dentatus, anticarum vero magis sinuatus. Unicum specimen pulchrae hujus speciei, quod cel. etiam Boisduval inspexit, magnitudinem A. Neftes Cram. ♀ paullum excedit.

### 87. *Athyma Gordia* (Bois d. in litt.).

*Alis supra fuscis, ciliis distincte albo intersectis, striga submarginali fundo dilutiore, distincta, anticis vitta cellulari, annulo fundi colore interrupta, macula postposita diffusa, maculis duabus medianis (superiore multo minore), fasciola interna sat angusta strigaque externa ad apicem albo notata, posticarum fascia subbasali sat angusta alteraque angustiore margini parallela pone discum albido notata pallidissime brunneis, aureo-fulvescenti atomatis, anticis disco inter venas extusque nigro umbratis, posticis fascia submaculari nigra fasciam dictam externam intus limitante, altera postposita margineque pone strigam nigris, subtilis omnibus fulvo-brunneis, basi fulvescentibus, fasciis maculisque superis albis, his majoribus, anticarum maculis discalibus et exterioribus difformibus, posticarum venula praecostali, maculis basalibus aliisque pone discum seriatis fundo fulvo impositis nigris, striga submarginali, intus maculis obsoletis rotundatis nigris terminata, in anticis passim alba, his macula interna basali alba, atro notata, vitta cellulari continua sed margine interno maculis tribus atris terminata, posticis fasciola basali alba limboque interno cohaerente gtauco-albo, omnium maculis ciliaribus ultra cilia extensis. ♀*

Mindanao. — Praecedenti sat affinis, sed aliae longiores sunt, anticae in regione apicali, posticae apud angulum analem multo magis productae. Unicum specimen collectum, cui cel. Boisduval nomen supra scriptum imposuit, quarta parte majus est, quam femina *Epimethidis* supra descripta.

### 88. *Athyma Alcamene* (Bois d. in litt.).

*Alis supra nigrescenti-fuscis, ciliis distincte albo intersectis, striga submarginali in posticis multo latiore, fundo dilutiore, anticarum striga cellulari e basi aequaliter angusta viꝝ clavata, macula postposita atomaria indistincta, maculis tribus subapicalibus bene inter se remotis, macula rotundata mediocri inter ramos medianos primores, fasciola interna perangusta strigaque exteriore maculari, posticarum fascia perangusta basali alteraque submaculari exteriore pallide fulvescentibus, anticis disco inter*

venas extusque nigro umbratis, posticis fascia discali submaculari binisque strigam cingentibus nigris, subtus omnibus dilutioribus, fasciis strigis maculisque paginae superioris sed latioribus albidis, anticis macula nigra interna prope basin, aliis obsoletis discalibus inter venas fasciaque exteriore maculari, posticarum fasciola basali obsoleta alteraque discali maculis grossis composita nigrescentibus, his fasciola basali albida limboque interno glaucescenti atomato, cingulo thoracis et abdominis fulvescentibus. ♀

Mindanao. — *A. Pravarae* Moore, quae singularem format sectionem, affinis, sed tertia parte major. Unicam feminam Dr. Semper legit.

#### 89. *Adolias Lusiada* Nob.

Alis ♂ris supra aeneo-fuscescentibus, ♀nae multo dilutioribus, fascia communi discali diffusa obscuriore, margini parallela, in anticis sinuata, apud ♂rem solum distincta, anticis utriusque sexus annulis duobus cellularibus latis, tertio multo minore infra venam medianam lituraque basali adjacente sigmoidea, in ♂re solo sed optime distinctis, anticis hujus fascia altera externa diffusiore obliqua, fundo inter fascias aeneo-virescenti atomato, ♀nae fasciola discali albida, maculis quatuor ellipticis parvulis constanti (prima inter venam subcostalem et discoidalem sita, tertia minuta), posticis ♂ris litura maculaque discoidali minutis nigris strigaque externa macularum obsoletarum nigrescentium, ante et post eam in regione anali maculis atomariis nitide aeneo-virentibus, subtus omnibus utriusque sexus multo pallidioribus, in regione basali glauco atomatis, anticis ut supra signatis, macula vero atomaria apicali albida ornatis, fascia externa maculari in ♀na etiam apparente sed obsoleta et margini parallela, figuris cellularibus distinctis, litura basali anteposita, inferioribus vero absentibus, posticis annulis quatuor difformibus basalibus, in ♀na latioribus et obsoletis, limbo externo in ♂re fascia externa glaucescenti-aenea, maculis nigricantibus magnitudine decrescentibus ornata, in ♀na atomis bifariis glaucis aeneo-nitentibus.

Luzon. — *A. Garudae* Moore accedit. Unum par valde mutilatum Dr. Semper fratri misit.

90. *Apatura Rhea* Boisd. in litt.

*Alis ♂ ris supra castaneo-fuscis, ♀ nae multo dilutioribus, regione basali fulvo atomosis, fascia discali maculari alba, in anticis fracta, utriusque limbo externo multo dilutiore, fascia macularum strigaque margini sat approximata fundi colore diviso, in ♀ na fascia macularum fulvescentium anteposita, anticis in utroque sexu punctis quinque valde distinctis exterioribus serie curvata ordinatis albis, atro cinctis, infra ea in ♂ re ocellulo atro punctum album gerente, in ♀ na ocello mediocri nigro, fulvo iridato, in hac annulis tribus cellularibus nigris, in ♂ re maculis duabus rufo-ferrugineis subcostalibus, posticis utriusque sexus ocello subanali rufo-ferrugineo, atro pupillato, in ♀ na maculis duabus cellularibus fuscis, subtus omnibus ♀ nae ut supra signatis, sed multo pallidioribus, ♀ ris multo dilutioribus quam in pagina supera, signaturis fere iisdem ut in ♀ na, anticarum fascia discali multo angustiore (maculis tribus superioribus ejus ferrugineis, inferioribus tribus albis), posticarum nulla, ciliis in utroque sexu utrinque distincte albo intersectis.*

Bourias. Locban. (Lorquin.) Coll. Felder. — *A. Parysatidi* West. valde affinis et forte ejus vicaria, sed major et extra characteres supra memoratos forma alarum diversa. Alae multo breviores sunt, anticae in margine externo minus concavae, posticae apud costam et in angulo anali haud productae. Observandum, specimina *Parysatidis* indica et javanica (= *A. Salmacis* De Haan in litt.) haud inter se differre.

91. *Melanitis Melias* Boisd. in litt.

*Alix vix dentatis, utrinque maculis anteciliaribus albis, supra omnibus velutino nigro-fuscis, anticarum fasciola subapicali, venis divisa, posticarum maculis exterioribus apud plicas albis, subtus omnibus rufesceni-fuscis, margine externo sparse albido variegato, anticis punto basali, maculis nonnullis in costae triente basali, fasciola supera punctisque tribus posterioribus, posticis punto basali, macula minuta atomaria discoidali punctoque grosso subcostali albis. ♂*

Bourias. Locban. (Lorquin.) Coll. Felder. Eximiam istam speciem propriam formare sectionem oportet. Alae fere integerrimae sunt, ante cilia distincte albo maculatae, anticarum ramus tertius subcostalis deflexus, quarto magis approximatus, posticarum rami subcostales sat inter

se approximati. Alae minus porrectae et pro portione latiores sunt quam in *M. Casiphone* Hüb., cuius magnitudinem haud attingit specimen nostrum, anticae in regione apicis minus productae. Cellula alarum anticarum angustior et longior est, venula discocellularis inferior multo magis arcuata; posticarum cellula angustior est, multo brevior et extimo superiore haud porrecta. — Dr. Semper in insula Luzon pulcherrimum masculinum specimen cepit, quod varietas vel aberratio *M. Meliadis* Boisd. videtur. Majus, multo saturatius coloratum est, maculae alarum posticarum albae multo longiores, radiiformes sunt, in pagina etiam infera apparent venaequae ibidem atomis albidis circummarginatae sunt.

## 92. *Melanitis Egialina* Nob.

♂ *M. Ligya* Boisd. in litt.

♀ *M. Pallas* Boisd. in litt.

*Alis abbreviatis, remote et leviter dentatis, supra chalybaeo-nigris, ♂ris multo saturationibus, anticis ejus basi chalybaea, fascia arcuata submarginali, maculis sex albis, caeruleo atomatis composita (tribus superioribus elongatis, decrescentibus, inferioribus rotundatis), posticis maculis grossis pallide plumbeo-caeruleis, fasciam sistentibus in margine ipso, ♀nae singulis plaga magna interiore, extus radiatim incisa, alba, ad basin obscure glauco atomosa, anticis fascia externa arcuata macularum decrescentium obscure glaucarum, subtus omnibus utriusque sexus obscure canescenti-fuscis, nigro marmoratis, anticis ♂ris triangulo apicis albo atomato, ♀nae parte alba plagae superioris fasciaque externa in loco superioris albis, atomariis, posticis utriusque sexus puncto subcostali aliisque seriatis exterioribus apud plicas atris, albo pupillatis, in ♂re macula parva inferiore ferruginea atomisque inferioribus obsolete ochraceis, in ♀na macula sat magna basali ferruginea fasciaque dilute ochracea a costa usque ad ramum medianum tertium maculari alboque ex parte colorata, inde (plagae superioris vice) latissima, supra totam marginis interni regionem medium extensa.*

Luzon. — Propriam constituit sectionem valde distinctam ista species uno pare lecta. Antennae gracillimae sunt, alae et cellulae earum discoidales valde abbreviatae, vena discoidalis inferior alarum anticarum superiori sat approximata, posticarum vena costalis et ramus primus venae subcostalis multo breviores quam in congeneribus. Mas alarum anticarum marginem internum sinuatum, revolutum habet et ibidem fasciculum compressum pilorum ostendit, qua re ab omnibus

congeneribus hucusque notis discrepat. Mas alas latiores et vix dentatas et anticas in apice minus productas praestat, quam femina.

Facies speciei sectionem *M. bioculatae* Guér. revocat. Femina in signaturis et paginae inferioris colore haud assimilis est *Pieridi Egialeae* Cram. et praesertim vicariae ejus *philippinae*, *P. Hennigiae* Esch. Expansionem *M. undularis* Fabr. paullum superat.

### 93. Discophora Melinda Nob.

*Alis supra fuscescentibus, lilacino tinctis, anticis maculis tribus discalibus fulvescentibus, dein fascia arcuata intus sinuata maculisque quatuor exterioribus adhaerentibus pallide metallico-caeruleis, posticis maculis tribus obsoletis discalibus fulvescentibus aliisque lunatis exterioribus, a margine sat remolis, atomariis biseriatis e brunneo liscentibus margineque ipso introrsum crenato fulvescenti-brunneo, subtus omnibus pallidissime ochraceo-brunneis, lilacino tinctis, obsolete brunneo variegatis, punctis strigaque basalibus, striga altera discali brunneis, fascia discali huic adnata alteraque exteriore oblitterata maculari fundo multo dilutioribus, posticis ocellis quatuor male distinctis.* ♀

Luzon. (Anna Semper.) — *D. Celindae* Stoll. affinis, sed alae anticae apice minus acutae, margine externo parum sinuatae et posticae levissime undatae, vix angulatae. In venis etiam discrimina inveniuntur. Unicum specimen Dr. Semper Europam misit.

### 94. Cyllo Atrax Bois d. in litt.

*Alis subrepandis, bene angulatis, omnibus ♂ris supra fuscis, anticis disco obscurioribus, fascia subapicali atomaria, glauco-violascente, ♀nae multo dilutioribus, margine externo pallide ferrugineo. anticis ejusdem regione terminali multo saturatiore, fascia subapicali sat lata, postice truncata et diffusa, ochraceo-alba, posticis punto obsoleto ocellari, subtus omnibus ♂ris obscure ferrugineo-brunneis, dense glauco-violaceo variegatis, striga communi saturatiore, extus glauco-violaceo limbata ocellisque exterioribus, parvulis male distinctis, ♀nae omnibus ibidem dilute ferrugineo-brunneis, obsolete variegatis, striga communi saturatiore optime determinata, angulum analem posticarum versus flexuosa, in anticis fasciola alba diffusa limitata, in posticis extus atomis glauco-violascentibus cincta, ocellis exterioribus distinctis, iride lata ochracea, anticis utriusque sexus fasciolis binis ordinariis atomariis per cellulam glaucescentibus, obsoletis, in ♀na fasciolis totidem obscuris terminatis, posticis puncto*

*discocellulari ochraceo distincto, in ♀ na macula cellulari atomaria glaucescente.*

Luzon. Coll. Semper. Burias. Looban. (Lorquin.) Coll. Felder. — Certe *C. Suyudanae* Moore Javae haec species sat distincta proxime accedit, sed alarum forma jam ab illa removetur. Alae breviores sunt (i. e. venae medianae), sed apices magis producti (i. e. venae superiores longiores) et anguli alarum multo breviores. Duo paria ante nos habemus, in expansione sat discrepantia. Majus *C. Suyudanam* haud aequat.

#### 95. *Cyllo Erichsonia* Nob.

*Alis bene angulatis, posticis subacute caudulatis, omnibus ♂ris supra fuscis, juxta marginem dilutioribus, area tota discali multo saturatione, anticis margine externo plumbeo tincto, ♀nae omnibus dilutioribus, anticis extus violaceo tinctis, fascia discali alteraque breviore subapicali diffuse fuscis, fasciola interjecta atomaria albido-brunnescente, margine externo late plumbeo tincto, posticis punto minuto ocellari albo, subtus omnibus ♂ris brunneis, disco extusque violaceo tinctis, dense glauco-violaceo et obscure ferrugineo variegatis, margine obscure ferrugineo, ♀nae omnibus dilute brunnescentibus, fusco variegatis glaucenti atomatis, margine externo obscuriore, anticis utriusque sexus fasciolis binis ordinariis per cellulam tertiaque subapicali triangulari extus punctis ocellaribus terminata atomariis glaucentibus, posticis ♂ris ocellulis sat distinctis, in femina punctis caecis albis, striga ordinaria in iis solum relicta arcuata, medio macula nigrescente notata, macula concolore in cellula, puncto minuto extra cellulam albido.*

Mindoro. Coll. Semper et Felder. — Antecedenti similis, sed facile jam alis magis angulatis dignoscenda. Secundum duos mares et unam feminam diagnosin superam conscripsimus. Expansione majoribus *C. Atracis* Boisd. speciminiibus aequales sunt, femina vero major et robustior est.

#### 96. *Cyllo Boisduvalia* Nob.

*Alis repandis, anticis distincte angulatis, rufo-fuscis, dimidio externo saturatione, fascia subdiffusa, subsinuata fulvescente, posticis rufo-brunneis, caudula subacuta, subtus omnibus brunnescentibus, dense glauco-violaceo atomatis (praesertim posticis), nigro variegatis, striga communi rufo-brunnea distincta, anticis extus pallide ochraceo variis, limbo interno fere concolore, fasciolis*

*duabus per cellulam glauco-albis tertiaque pone medium, alba costalibus diffusis, striga subapicali alba, extus punctis quatuor ocellaribus terminata, posticis macula cellulari alteraque media grossis nigrescentibus, macula minuta discocellulari punctisque exterioribus ocellaribus apud plicas ochraceis, costa et margine interno albo atomatis.* ♀

Mindoro. — Unica femina lecta est hujus speciei praecedenti sat affinis, sed alarum forma jam distinctae. Expansionem ♂ris *C. Banksiae* Fabr. typicae e Nova Hollandia, cui alarum sectura similis, haud attingit.

### 97. *Debis Negrito* Nob.

*Alis ♂ris supra velutino nigro-fuscis, posticis ocellis quatuor caecis nigricantibus ferrugineo circumcinctis, striga marginali maculari ferruginea, linea fusca divisa, ♀nae dilute ferrugineis, anticis dimidio terminali fusco, fascia pone cellulam abbreviata, macula mediana terminata alba, posticis ocellis quinque nigris caecis, secundo maximo elliptico, striga maculari submarginali alteraque pone eam, tenui fuscis, margine apicis fulvescente, subtus omnibus utriusque sexus dilute brunneis, anticis ♂ris a basi supra discum violaceo suffusis et opalino nitentibus, striga per cellulam alteraque leviter angulata ferrugineis, extus late albido marginatis, ocellis sex exterioribus obsoletis in fundo albido, striga submarginali undata alteraque postposita tenui fuscis, anticis ♀nae ut in ♂re, area vero discali castaneo-fusca, fascia supera alba, in fundum ocellorum transfluente divisa, posticis utriusque sexus dimidio basali violaceo-glauco atomato, striga subbasali vix undulata sere continua, extus albido cincta, litura discocellulari strigaque discali undata, angulata, intus fundo obscuriore limitata, introrsum ad apicem et extrorsum infra eum maculis atomariis ochraceis terminata, ferrugineo-fuscis, ocellis sex optime distinctis, singulo fundo violaceo-glaucescente, opalino nitido imposito, primo majore remoto, margine externo obscuriore, striga ochracea, linea nigra tenui divisa in eo.*

Luzon. (Anna Semper.) Burias. Locban. (Lorquin.) Coll. Felder. — *D. Chandicas* Moore valde affinis est haec species, sed extra characteres supra exhibitos (praecipue strigam discalem paginae inferioris minus angulatam) forma alarum differt. Alae longiores sunt, anticae in regione apicali, posticae in regione anali multo magis porrectae.

98. *Yphthima Sempera* Nob.

*Alis supra dilute fuscis, marginem versus viu albido variegatis, striga submarginali lineaque marginali fuscis, anticis ocello submarginali, sat magno, subelliptico, posticis duobus analibus (secundo minimo) orbicularibus, nigris, iride lutescente, pupilla punctiformi plumbea (in ocello anticarum duplice), anticis striga obsoleta discali fusca, subtus omnibus pallidioribus, fuscescens variegatis, anticis extus, posticis in regione tota inferiore dense albo atomatis, striga communi submarginali, in posticis tenui, subundata, anticis striga paginae superioris discali diffusa, ocello paginae superioris, sed majori, latius iridato, posticis strigis duabus discalibus flexuosis parallelis obsolete brunneis, ocello submarginali minutissimo tribusque parvulis analibus (binis ultimis conjunctis). ♀*

Luzon. — Unica femina collecta est. Major est, quam *Y. Stellera* Esch., cui species valde affinis, sed alae angustiores sunt et ad apicem multo magis productae. Posticarum margo externus repandus est. Alarum anticarum forma fere eadem, ut in *Y. Stellera* ♂.

99. *Ragadia Melindena* Nob.

*Alis supra dilute fuscis, fasciis duabus discalibus conformibus albocantibus, secunda multo latiore, in posticis supra marginem internum totum diffusa, subtus omnibus multo saturatioribus, fasciis duabus superis, sed distinctis et secunda subaequilata, tertia insuper basali angustiore strigaque angusta concolore ante marginem, striga altera brunnea in margine ipso, ocellis exterioribus atris, plumbeo pupillatis, anticarum octo distincte inter se remotis, posticarum septem subseparatis, harum iridibus latere interno perangustis, externo vero plus quam duplo latioribus. ♀*

Mindanao. — Medium tenet haec species inter *R. Makutam* Horsf. et *Luzoniam* Feld., formam alarum fere illius, strigas marginales autem alarum anticarum, ut in hac, integras nec undulatas habet. Reliquae signaturae sicut et color *Makutae* similliores sunt. Ab utraque specie differt ocellorum alarum posticarum conditione, qui aliter iridati et margini magis approximati apparent. Unicum specimen reportatum est, quod *R. Makutae* feminas bene superat.

100. *Mycalesis Ita* Nob.

*Alis supra fuscis, anticis areola discali saturate fulva, ocello posteriore magno atro, late fulvo iridato, fundo dilute fulvo imposito,*

126

*posticis vias repandis, plaga externa fulva, intus recte truncata, ocellis sex ornata (quarto majore), striga marginali fulvescente, linea nigra divisa, subtus omnibus dilutissime ochraceo-fulvis (anticis costam versus obscurioribus), strigis duabus communibus discalibus obliquis distinctis (in posticis subrectis) lituraque discocellulari ferrugineis, lineis duabus submarginalibus tertiaque anteciliari ferrugineo-fuscis margine pone lineam secundam fulvescente anticarum ocellis quatuor, quarto remoto, distinctissimo sat magno, posticarum septem, quinto multo majore, atris, late fulvescenti iridatis alboque pupillatis, introrsum fascia atomaria ferruginea terminatis.* ♂ ♀

Luzon. Coll. Semper et Felder. (Lorquin.) — *M. Anapitae* Moore valde affinis, sed alae anticae acutiores et posticae latiores sunt. Sententiam cel. Hewitsonii (Exot. Butterfl. Part. 41), hasce formas, a nobis sub nomine „*Dasyomma*“ olim complexas, haud a *Mycaleside* generice separari posse, nunc iteratis comparationibus sequi debemus. (Cf. autem Wallengren in Wien. Ent. Monatschr. VII. p. 70 Nr. 94). Aliae adhuc species generi addendae sunt e. g. *Coenonympha Manipa* Boisd., *Shiva* Boisd. Priorem cel. Hewitson sub nomine „*M. Daidis*“ iconē depinxit.

#### 101. *Mycalesis Tagala* Nob.

*Alis supra fuscis, dimidio basali ochraceo-fulvo, anticis ocello mediano orbiculari atro, albo pupillato, fulvo-ochraceo iridato, posticis ocello subelliptico, concolore, sed iride latiore cincto, his margine fundo dilutiore, striga nigricante diviso, subtus omnibus saturate olivaceo-fuscis, margine multo dilutiore, striga undata fusca diviso, striga communi exteriore nigro-fusca, introrsum ferrugineo terminata, extus multo dilutius cincta. leviter curvata, posticis striga basali flexili nigro-fusca, anticarum ocellis duobus vel quatuor (infimo maximo, remoto), posticarum quinque (primo et quarto maximis, secundo et tertio extra seriem) atris albo pupillatis, anguste fulvo iridatis, singulis annulo fundo multo dilutiore circumeinctis, antennarum clava supra, apice excepto, nigra.* ♀

Bourias. Loiban. (Lorquin.) Coll. Felder. Mindanao. Coll. Semper. — Species haec robustitate insignis, a congeneribus vena discoidalı secunda alarum posticarum a prima sat distante et ramo secundo et tertio mediano alarum posticarum interstitio sat longo separatis discrepat. Oculi valde tomentosi sunt, sed forma alarum *Mycalesidibus* genuinis multo similior est, quam *Dasyommatibus*.

Specimina, quae ante nos habemus, masculini sunt sexus et expansione  
*M. Messenen* Hew. aequant, Specimen mindanense a Dre. Semper  
lectum nonnihil differt a nostris.

### 102. *Mycalesis Bisaya* Nob.

*Alis ♂ aris supra fuscis, basin versus dilutioribus, ♀ nae multo pallidioribus, anticis utrinque ocello mediano obsoletiore atro, albo pupillato ferrugineo-fulvo iridato, posticis ocello subelliptico et in ♂re duobus superioribus minutis, concoloribus, his margine fundo dilutiore, striga distincta nigrescente diviso, subtus omnibus ♂ris saturate olivaceo-fuscis, ♀nae ut in pagina superiore, margine externo utrinque multo dilutiore, striga fusca undulata diviso, striga communi obscure nigro-fusca, introrsum ferrugineo-terminata, extus in ♂re fundo multo dilutius-, in ♀na albido cincta subrecta, paullulum et irregulariter undulata, posticis striga basali flexili nigro-fusca, antifarum ocellis tribus vel quinque (infimo maximo) posticarum septem (primo et quinto maximis. secundo tertio et quarto extra senem) atris, albo pupillatis, anguste fulvo iridatis, singulis annulo multo dilutiore circumcinctis, antennis infra clavam dilute ferrugineis.*

Luzon. Coll. Semper. Bourias. Locban. (Lorquin.) Coll. Felder.  
— Praecedenti quam maxime affinis est haec forma et fortasse transitionibus conjuncta.

### 103. *Mycalesis Igoleta* Nob.

*Alis supra fuscis, anticis ocello magno posteriore nigricante ochraceo iridato, posticis extus dilutioribus, striga externa subundata lineaque antemarginali fuscis, sat inter se distantibus, subtus omnibus multo dilutioribus, fusco variegatis, in dimidio externo albido atomatis, strigis transversis flexuosis in dimidio basali, linea tenui pone cellulam subrecta, altera externa obsoleta undulata striolisque antemarginalibus fuscis, antifarum ocellis duobus, posticarum septem atris punctiformibus. ♂*

Luzon. — *M. Polydectae* Cram. philippinae varietatem hanc putassemus, nisi strigarum marginalium alarum posticarum positio obstitisset. Striga undata enim a linea antemarginali multo magis remota est, quam in specie dicta. Unum specimen Dr. Semper Europam transmisit. A *M. Zophyrō* Koll., cui pagina inferior haud absimilis, facile jam alarum forma discernitur.

# ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Wiener Entomologische Monatsschrift](#)

Jahr/Year: 1863

Band/Volume: [7](#)

Autor(en)/Author(s): Felder Cajetan Freiherr von, Felder Rudolf

Artikel/Article: [Lepidoptera nova a Dre. Carolo Semper in insulis  
Philippinis collecta diagnosibus exposuerunt. 105-127](#)